



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

De intellectili obiecto & intellectione, cap. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

gnitionem, quando cum appetens praecedit & A in ea tendit, in qua non oportet, cogit cognitionem machinam aliquam excogitare ad appetenda ea.

Denique ex Platonis in Philebo sententia id ipsum ostendit; qui appetitum generationis infiniti esse dixit; quoniam in voluptate, ad quam is proclivis est, reperitur magis & minus: intellectum autem & cognoscentem virtutem esse finiti, cum certi cuiuspiam sit: finitum autem infinito praestantius est. Sed Platonis hanc ratiocinationem mittamus.

Potior est Auerrois illa (iuvat enim nunc peripatetica magis sectari) in extremo capite septimo libri Moraliū 10. Quod cuique natura proprium est, id ceteris omnibus, quae in ea sunt, praestat: sed maxime proprium homini est intellectus, quo & homo est, & ceteris omnibus animalibus antecellit: intellectus igitur honoratius est & melius quod est in eo. Haec enim ipsa sunt Auerrois verba.

Ego vero his omnibus tum obiecti conditionem, tum facultatis naturam addam. Ex obiecto quippe facultatum naturam diiudicare oportet. At verum intellectus obiectum, si absolute & per se, non per ordinem ad aliud, consideretur, nobilissimum est bono: quod voluntas querit: entitati namque propinquius. Operatio autem intellectus tam efficax est & divina, ut ad se omnia trahat, sibi assimilat, atque in seipsum transferat, omnia in se concipiendo ac mirabiliter parturiendo. Ita intellectus intelligendo fit omnia. Voluntas vero tam est infirma & imbecilla, ut à quibusvis, vel abiectissimis, volitis rebus rapiatur & in eorum protinus naturam commutetur. Quod si perpendas habitus, qui ad utramque pertinent facultatem; ij vel naturales sunt vel supra naturam, vel inquam natura viribus comparati, vel à Deo tributi. Si de priori genere sit sermo; habitus intellectus absolute, ut habitus sunt, moralibus praestant virtutibus; etsi in his ratio virtutis magis eluceat sitque perfectior. Quorum utrumque scit sanctus Thomas & Caietanus in prima secundae quaest. 66. artic. 3. disputarunt. Si autem de posteriori loquamur; fateor, dum hic vivimus, praestat omnibus caritas in voluntate: ac post in intellectu lumen accedet gloriae, quod caritate perfectius est; quemadmodum Capreolus & Caietanus docuerunt.

DE INTELLECTILI obiecto & intellectu.

CAP. VIII.

TEXTVS.

Η μηδ' αὐτὸ τὸ ἀδιαιρέτην γένος ἐν τέλει, πρὸς δὲ ἄνεστι τὸ ψευδὸς ἐν αἰετῇ τὸ ψευδὸς ἐν τῷ ἀληθῆς, οὐ μὴν οὐκ ἐστὶν ἴδιον γενεῶν, ἀλλὰ ἐν ὅσῳ, καὶ εὐδὲν ἑμπεδοκλέους ἔφη, ἢ πολλὸν πρὸς κέρου ἀδιαιρέτου ἐλάττωσαν. Ἐπιπλάσσειν τὴν φιλοσοφίαν καὶ τὰ πάντα κεραισιν ἰδὲν οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ τὸ ἀσφαιμερὸς, ἢ δὲ ἀμετρητὸς.

Imparibilibus igitur intellectio in his, circa que non est falsum. In quibus autem falsum & verum, compositio quaedam utique notionum, perinde ac vnum sine: quemadmodum Empedocles dixit;

Certe multorum quidem capita sine cervicibus genuerunt,

Postea amictia fuisse composita. Ita & hec separata componuntur; ut incommensurable & diameter.

COMMENTARIUS CIII.

TRia de intellectu haestenus capita nobis exposuit Philosophus. Primum, quae sit intellectus differentia: quod fuit de patibili intellectu agere. Deinde quemadmodum intellectio fiat. Ac demum de agentis intellectus necessitate & natura. Quartum nunc aggreditur. In quo Auerrois & S. Thomae sententia de intellectu operatione; Philoponi de obiecto; Simplicij tum de obiecto, tum de operatione differit. Neque ego magno opere contradicam. Nam siue de imparibilibus simplici apprehensione eorumque compositione, siue de simplicibus ipsis & compositis dicatur; perinde sanè fuerit. Etsi enim iam de intellectu vniuersè fuerit dictum, de illius tamè speciebus intellectu simplici & composita, dicendum erat. Et rursum intellectus obiectum significatum fuit entia omnia comprehendere, ubi eum ad omnia potestatem quandam esse, posseque omnia fieri, & itè omnia facere, ideoque nulli rei permistum esse, tradidit: sed nunc in simplex diuiditur & compositum.

Neque mirum, si in vegetantium & sentientium facultatum explicatione prius egit in 2. libro de obiecto, tum de facultate; hic vero prius de intellectu, quam de intellectili obiecto. Quoniam ab obiecto antea velut notiori principium fecit: ac in rationali anima notior est ac manifestior intellectus, quam intellectile; quippe intellectum ex operatione coniectamur. Obiectum autem, si immateriale sit, ignotissimum est & ut post Simplicij dicturus est, supra animam nostram collocatum. Si vero materiale; quatenus sensibile est, iam ex sensuum cognitione cognoscebatur: quatenus autem intellectile, non nisi ex intellectu natura perspecta cognosci poterat. Quamquam & de obiecto in superioribus non pauca significata fuerunt; dum & patibilis intellectus naturam & agentis ac patientis differentiam ex obiecto propriaque actione inuestigauit. Sed illa generalia fuerunt, nunc ad specialia descendit.

Tex. 21

Intellectus notior, quam intellectibilia.

Impar-
tibilium
Et par-
tibilium
intelle-
ctio.

Bipartitum igitur obiectum, bipartitamque actionem facit. Quaedam enim impartibilia sunt & simplicia, quae decem generibus continentur, inquit Themistius, impartibilis actione intelliguntur. Alia partibilia & composita, quorum partibilis item & composita est intellectio. Sanè tum ex obiecto cognitionis natura & conditio petitur; tum obiectum cognitione in cognoscentem transferetur simileque illi efficitur. Quare & impartibilis obiecti cognitionem impartibilem & compositi compositam; & contra simplicis cognitionis simplex obiectum & partibilis item partibile necesse est esse. Porro bipartitam hanc cognitionem ita partiti sunt Philoponus & Simplicius; vt impartibilem cognitionem alter voluerit esse intellectus, & compositorum dianæ; illumque impartibiliter, simul & nō per partes intelligere, siue impartibilia, siue partibilia; cetero persimile; hanc verò, velut circumferentiam, cōponere atque ex vno in aliud trāsire. Alter sermonem esse dixerit de intellectu agente: atque vt antea post indicatam partibilis intellectus naturam bipartitum fecit philosophus in tex. 9. intellectibile illius obiectum; tum formatum & compositum, tum formam illius terminatricem: ita nunc post explicatam agentis naturam intellectibilia illius ostendi; vt & impartibiles formas cognoscat, quatenus intellectus est; quæ verò composita sunt & quasi in orbem explicata & componendo ac diuidendo circumducta, quatenus item existit ratio. Intellectus enim simul est & ratio agens. Verum neque agentis intellectus, neque rationis aut dianæ mentio vlla: sed intellectio sola vniuersè nominatur, intellectibileque vniuersum in simplex diuiditur & coniunctum: fatiusque est ea, quæ dicuntur, de obiecto & operationibus intellectus vniuersè; de simplicium inquam apprehensione & eorum compositione interpretari.

Impar-
tibilium
intelle-
ctio vt
vera
vel fal-
sa.

Impartibilem igitur & simplicium intellectio in iis est, in quibus non est falsum. At cur non dixit, nec verum nec falsum, vtrumque coniungens; quemadmodum cum de compositis loquitur; sed solam falsum? Interpretationem huius loci habes in lib. 9. Metaph. tex. 22. simplicia enim vt nullas habent partes, ita ab intellectu aut attinguntur tota, aut omnino non attinguntur: si attingantur, vera est intellectio; si non attingantur, ignoratio est, nō falsitas; & omnino simplicia aut tota intelliguntur, aut ignorantur tota. Contradictionis verò philosophum accusat Philoponus; quasi pugnancia loquuntur; dum eo quidem loco simplicium cognitionem verā, non falsam (quam sententiam nunc quoque sequutus est) & in libro de interpretatione nec veram nec falsam dixit. Sed nimirum apprensus contradictio est, non vera. In altero siquidem loco veritatem eam & falsitatem negat, quæ propria compositionis est, affirmationemque aut negationem habet: in altero autem simplicem veritatem admittit, quæ actum significat & conformitatem intelligentis intellectus cum re intellecta, ignoratiōi oppositam, nō falsitati. Quam veritatem, vt *apprensus*, hoc est subsistentem, appellat Philoponus, quod ad rem ipsam subsistentem applicet se intellectus similemque illi notionē formet.

Parti-
liū in-
telle-
ctio
vera &
falsa.

Vbi verò simplices notiones componimus, veritas iam existit & falsitas. Si enim coniungimus ea, quæ re ipsa coniuncta sunt, vera est intellectus cōpositio, quia cōformis coniunctioni, quæ in rebus

A extra intellectum existit: vt si Socratem dicam currere, dum re ipsa currit. Sin autem coniungatur ea, quæ coniuncta non sunt, falsa fuerit, quia seculus habet in rebus; vt si sedente Socrate currere illum affirmem. Exemplum is adfert incommensurabilis & diametri; quo alibi etiam sepe videtur. Nā si diametrum dicam incommensurabilem esse quadranguli lateri, vera erit compositio; falsa, si commensurabilem.

B Quod autem ex Empedocle adfert, ad explicandam hanc duplicem operationem pertinet. Vt in is capita dixit dominante lite à certuibus separata sic simplices notiones ab intellectu primū proficisci, post eas coniungi & componi ait philosophus. Et vt ibi ex pluribus membris vnum formatum corpus, ita ex pluribus notionibus vna sit composita. Sed quemadmodum ibi, ait Themistius, omnis compositio membrorum constituit animal; ita hinc non omnis compositio notionum constituit veritatem: sed aliqua etiam compositio est, de qua mendacium existit. Deinde vt illic ex simplicibus membris animal simplex constituitur, ita hinc ex simplicibus terminis simplex propositio nascitur. De qua tamen ad rem adnotauit Philoponus non absolute vnitatem asseruisse philosophum; sed (perinde ac vnum sint) dixisse. Quoniam simplices notiones verè vnum non sunt, sed appositione vnum: vniuntur enim copula, dum vnum alteri tribuitur; nec ab similibus est membrorum in vno corpore copulatio.

C Itaque duas hinc intellectus nostri operationes habes; simplicium apprehensionem, & eorundem compositionem. Priorem Auerroës formationem appellat, posteriorem fidem: quòd in altera rei notio formetur, in altera sic affirmatio & negatio, veritas & falsitas, quibus assentimur aut non assentimur, adhibemus aut non adhibemus fidem. Et verè hanc operationum intellectus diuisionem famosior esse dixit, hoc est communissimam & maxime generalem. Etenim tertia quoque subest operatio, quæ ratiocinatione vtiatur: verum hanc ipsa compositione habet, estque compositio diuidenda. Nam intellectus actio aut simplex est aut composita: & rursum composita aut est vnus cū alio, aut vnus ex alijs; hoc est aut solam simplicium notionum compositionem habet cum affirmatione aut negatione vnus de altero, vt homo est risus capax: aut etiam ratiocinando pluresque compositiones iungendo vnum de altero caute interuentu affirmat aut negat vt homo est rationis compos, igitur & risus capax. Has tres intellectus nostri actiones agnoscunt omnes. Ex quibus patet intellectum nostrum simul esse & intellectum & ratiocinationem seu dianam: intellectum, quatenus intelligit; rationem aut dianam, quatenus componit, diuidit & ex vno in aliud transit. Estque intellectus quidem absolutus & abstractus, absolute vnus & indiuiduus: at intellectus noster partim vnus & indiuiduus, quatenus intellectus est; partim non vnus & diuiduus, quatenus ratio & dianæ.

ἕξου inquit τῶν ἀδιεργῶν, seu τῶν νοημάτων; singula impartibilia seu notionum, quas principio nominavit ad simplicem intellectum pertinere. Nec sine causa verbum ordinem mutandum orationemque ita instruendam, τὸ ἕξου τῶν ἕξ, ἄτο ἰ ἕξ, Quod autem singula facit vnum, hoc intellectus; Philoponus monuit: alioqui enim turbata est & obscura nimis.

Quod autem ad sententiam attinet, iure optimo Averroës vitur hoc loco ad convincendum Auēpace, qui componentem virtutem ab imaginatrice, hoc est simplicium formatrice, diuersam esse crediderat. Etenim & Aristoteles intellectum simplicia cognoscentem eorum quoque compositorem esse asserit: & omnino necesse est eum, qui compositus est, ea cognoscere, quae componat: tum vt diuidet, quam aptè coniungi possint, quae non possint; quae affirmanda, quae neganda sint; quae componenda, quae diuidenda. Tum verò vt adhibeat inter ea copulam, nexum, & vnionem, quae compositionis est forma. exemplo communis sensus Averroës vitur, quem in superioribus demonstratum est exteriorum particularium sensuum cognoscere oportere obiecta, si ea diuidicare & eadem aut diuersa pronuntiare debeat. Etsi enim non omni ex parte similis sit communis sensus, atque intellectus operatio; eatenus tamen efficax est argumentum, quatenus extrema cognoscere necesse est, quae aut diuidenda aut componenda & vnenda sunt.

Quod verò Philoponus sapientiam admiratur Philoponus, quae intellectum non dixerit intelligere, sed facere vnum: eam scilicet ob causam, quia vt in quod est, omnibus esse impertit; & pulchrum dat pulchris vt pulchra sint; ita & intellectus ob suam simplicitatem & vnitatem, quae sunt composita, facit simplicia. Mihi quidem certè haud tantopere mirandum videtur. Tum quia vt intellectus aliam non habet actionem, quam intellectioem; sic ipse facere, aliud non est, quam intelligere: perindeque fuit dicere facere, ac si dixisset intelligere. Tum quia ipsemet Philoponus intellectum & dianam distinguit; compositionemque non intellectus, sed dianam, quae vnitatem illam non habet, esse iam posuit. Tum demum quia haec intellectus compositio etsi vnitatem quandam habet à copula, compositio tamen est pluriumque simplicium notionum complexus; & ideo veritatem habet aut falsitatem affirmationis aut negationis; hocque magnopere à simplici & impartibili intellectioem distinguitur. Quod igitur facere dixit Philoponus, operationem eam significat, quae plura colligit, copulat atque vnit; facitque vnum, non simplex, sed compositum. Quemadmodum enim natura ex materia & forma facere vnum dicitur, non simplex, sed compositum; ita & intellectus affirmatur ex duplici notionem simplici vnum quidpiam intelligendo efficere. Vnus namque intelligendi actus est compositio, tam ratione apprehensionis, quam ratione iudicii. Etsi enim plures simplices antecedant notionem, eae tamē vnico actu coniunguntur & iudicantur, neque iudicatoria haec vnico, nisi vnico actu consistere potest. Proptereaque interdum etsi notionem simplices apprehenderimus, nondum tamen propositionem intelligimus; quod actus desit, quo illae coniungantur, atque vt vnum intelligantur, simulque de illis iudicetur: sed antea cognoscebatur vt vnum,

Apprehensio
in compositio
ne eiusdem esse
virtutis

Diuidenda sunt

A post ad modum vnus coniuncti intelligentur. Quae coniunctionem exprimit copula in propositione vocali, quae simplices terminos coniungendo fit ex pluribus partibus oratio vna. Argumento sit sensus, qui vnico actu plura simul obiecta sensibilia comprehendit, aspectus plures colores, & auditus plures sonos; dum ille p̄ct̄ ur̄a intuetur quāpiam, hic harmoniam audit; & communis sensus obiecta plura diiudicat. At intellectus melior facultas est atque ad agendum potentior. Quare etsi plures simul nequeat intellectiones producere, quod determinata habeat formam & naturam: quā ob causam in 2. lib. Topic. inquit Philoponus, scire plura contingit, non autem intelligere; possunt inquam plures habitus esse simul, at non plures actus: vnica tamen intellectio potest plura complecti atque vnica colligere; sitque per se, vt plura simul obijciuntur phantasmata. Vbi verò simplicia intelliguntur, momentanea est operatio; etsi aliquo post tempore prorogari queat. Nam & obiectum est impartibile; & aspectus in lib. de sensu & sensibili, & communis sensus in tex. 14. 6. 1. 2. huius operis momento operari dicuntur. At vbi haec componuntur, aut ex vno aliud deducitur; sanè intercedit tempus, dum ex vno ad aliud, ex subiecto ad attributum, ex causa ad effectum intellectus transit. Verum si communis sensus iudicium de pluribus sensibilibus momentaneum est; cur non intellectus quoque iudicium de compositione, tum de rationationis conclusione fuerit? Porro quod attinet ad illud verbum (facit) si vlla sit in co-vis, ea fortasse fuerit, vt propterea dixerit potius facere, quam intelligere; quod tum in simplici apprehensione, tum in compositione sit sanè agere & pati; agere iudicando & producendo intellectioem; pati autem, illam velut intellectus rei speciem suscipiendo; at in simplici apprehensione pati potius videatur, quam agere dum rei speciem format; in compositione vero magis agat, quam patiatur; dum plura coniungit aut diuidit, aut ex vno aliud ratiocinatur. Sed de his iam pluribus est differendum.

Digestio. xxxi. De actionibus intellectus.

I N intellectioem, quae propria est intellectus functioni, duo cernuntur; essentia eius, & modus. Essentia duobus perficitur. Alterum est perfectum apprehensio, quae rem intellectui praesentem facit; eiusque vis maxima consistit in euidencia & claritate; vt res, quemadmodum est, clarè repraesentetur. Alterum est assensus & iudicium; quo firmiter intellectus apprehensam rei assentitur, atque ita esse vt repraesentatur; atque eius maxima virtus est certitudo & firmitas, ne facile diuelli possit. Modus autem intellectioem nil aliud est, quam certa quaedam apprehendendi & iudicandi ratio. Haec vero triplex est. Nam vel intellectus intuitu simplici percipit rem vt est; sicut oculus intuetur colorē, hominem inquam aut animal sensum, nihil affirmando aut negando: tuncque firmiter illi statim adhaeret. Vel eam non satis penetrat; illique simpliciter apprehensa attribuit aliquid oportet, quod in ea sit; aut aliquid de ea neget, quod ei non insit. Ita compositio fit aut diuisio: vt cum homini apprehenso attribuitur esse animal, aut is negatur esse lapis. Quod si intellectus rem ita esse cognoscit vt dicit; perfectam sanè cognitionem habet. Sin autem non cognoscat, tunc ostendere oportet id inesse rei, quod illi attribuitur; aut non inesse id, quod de ea negatur: hocque per